



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Inqvisitio XIV. De monachis, qui aut militare coeperint, aut vxores
accipere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

tuimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans & mentis & corporis.

INQUISITIO XIV.

De monachis, qui aut militare cœperint, aut uxores accipere.

RESPONSIO.

Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deserere non potest absque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens sit militia, & honestum potest esse coniugiû, electionem tamen meliorum deseruisse transgressio est.

27. q. 3. Pro-
positum
monachi.

INQUISITIO XV.

De puellis quæ aliquamdiu in habitu religioso fuerunt, non tamen consecratæ, si postea nupsierint.

RESPONSIO.

Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, præuaricantur, etiam si consecratio non accessit: cuius vtique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent. Ambigi vero non potest, crimen magnum admitti, vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid eos manebit, qui corruerint fœdera diuini sacramenti?

20. q. 1.
Puellæ quæ.

INQUISITIO XVI.

De his qui a parentibus Christianis paruuli derelicti sunt, & utrum baptizati sint non potest inueniri, an debeant baptizari.

RESPONSIO.

Si nulla extant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur; agendum est, vt renascantur: ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non finit vt videatur iteratum.

De consecr.
dist. 4. Si
nulla.